

Nono de Iudicibus particularibus aliquarum Ecclesiarum, vel piorum locorum, aut collegiorum, vel artium; Et decimo de Causidicis, alijsque Curialibus; Atque post hæc, aliquæ generalitates ad rem facientes annectuntur.

Illud autem aduertere placeat quod inter singulas Congregationes, vel Tribunalia, seu iudices, ac alios, nullum adhibetur studium, vel diligentia localitatis, vel maioris, aut minoris præminentie, sed ordo prouenit à casu, vel memoria, quæ prius vnum, quàm alterum suggererit.



De Papa, circa eius potestatem, ac personas, quas gerit.

S V M M A R I V M

- 1 **D**E pluribus personis quas Papa gerit, vel repræsentat.
- 2 Quare de persona patriarchali hodie apud forenses non agatur.
- 3 Ad quid etiam hodie ista persona videatur considerabilis.
- 4 De Papa tanquam Episcopo Urbis, & qualis sit eius districtus, vel diæcesis.
- 5 Qualis sit prouincia Papæ.
- 6 De districtu Urbis, antiquo, & moderno.
- 7 A finibus temporalibus non insertur ad spirituales, & è contrà.
- 8 Quantum se extendat iurisdictio Cardinalis Vicarij.
- 9 Possunt stare simul, ut inferior præscribat iurisditionem in aliena diæcesi.
- 10 Ab assensu præstito iure Ordinarij non insertur ad assensum Apostolicum.
- 11 Urbis Vicarius ligatur Constitutionibus Apostolicis, nõ autem decretis Sacrarum Congregationum, & de alijs ad materiam Papæ tanquam Episcopi Urbis.

- 12 *Leges factæ per Papam uti Principem, sacularem habentur tanquam leges laicales.*
- 13 *Quæ plures quæstiones in materia cadentes negligantur.*
- 14 *De causa, cui referri debeat temporale dominum Ecclesie, & Papæ.*
- 15 *Princeps non potest facere aliquem sibi æqualem, & scindere coronam.*
- 16 *Quod in hoc Imperator minorem habeat potestatem, quàm habeant quidam alij Principes.*
- 17 *Quare Papa habeat plenum dominium, etiam in ijs quæ cõcessa sint per Principes saculares.*
- 18 *Quæ sit vera ratio, cui temporale dominium Papæ referri debeat.*
- 19 *Quod Papa sit Papa, & Rex.*
- 20 *An Papa facere possit infeudationes, & concessionem abusuas, vel præuentiuas.*
- 21 *De Bulla Pij V. de non infeudando.*
- 22 *De ratione ob quam iuramentum dictæ Bullæ Pij V. magis efficiat.*
- 23 *Quod redditus, & prouentus Principatus temporalis diuersam habeant rationem, quàm illi Pontificatus.*
- 24 *Quare in Statu Ecclesiastico clerici, & personæ ecclesiasticæ gabellis, & oneribus laicalibus subiciantur.*
- 25 *Canonistæ magis quam theologi potestatem Papæ ampliant.*
- 26 *De quibus circa potestatem Papæ in præsentem agatur.*
- 27 *Papa est supra Concilium, & derogat Conciliorum decretis.*
- 28 *Quare requiratur eorum mentio specialis, & quando.*
- 29 *Non potest conuocari Concilium sine auctoritate Papæ.*
- 30 *De Capitulis Conclauis, an obligent Papam, qui cum se ipso non dispenset.*
- 31 *De gestis in Concilio Costantiensi.*
- 32 *Quare Concilium apponat manus in depositione Pontificis.*
- 33 *De Primatu Petri, & unitate Pontificis, & qualis fuerit potestas Pauli.*
- 34 *An Papa tollere possit officia, beneficia, & dignitates etiam sine causæ cognitione.*
- 35 *De quæstione, an Papa habeat ius territoriale in toto mundo, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, vel potius sit iurisdictio in personis, & causis, in territorio alieno latæ.*

- 36 De ratione ob quam Principes seculares volunt recognoscere literas Apostolicas, priusquam executioni demandentur.
- 37 Quod Papa sit Ordinarius Ordinariorum, et quomodo prouenire valeat.
- 38 De iis quæ soli Pontifici potestati sunt reseruatæ.
- 39 Ad solum Papam pertinet erigere Cathedralis, ac dioceses, & territoria diuidere.
- 40 Quales leges facere possit, vel qualibus legibus derogare.
- 41 Indici Concilia generalia.
- 42 Creat Episcopos, & Cardinales, & alia per uniuersum orbem.
- 43 De alijs accidentaliter Pontifici potestati reseruatæ.
- 44 De legibus Papalibus, an & quando obligent, & an possint non recipi.
- 45 De alijs ad materiam.
- 46 De iis quæ concernunt voluntatem utendi potestate.
- 47 Quando debeat sua potestate uti.
- 48 De commutatione ultimarum voluntatum.

DISC. II.

RESENTO eo, qui absque dubio in iure compatibilis est, pro respectu diuersitate, plurium personarum formalium concursu, in eadem persona materiali; Ut in præcedenti discursu aduertitur, plures in Papa considerantur personæ distinctæ, Vna scilicet Papæ, & Episcopi Ecclesiæ vniuersalis; Alia Patriarchæ occidentis; Tertia Episcopi Romani; Et quarta Principis seculares Status Ecclesiastici; Quatenus pertinet ad secundam personam Patriarchæ, propter occupationem ab infidelibus aliarum Orbis partium, quæ sub alijs, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis cadebant, (vnde propterea schismaticorum licentia prodijt, in schismate se confouendi,) cessant illæ finium, vel patriarchalis potestatis quæstiones, quæ antiquioribus

temporibus cadebant; Ideoque in hoc merito peractico, ac forensi opere, inani labor esset, ac extrâ propositum, de illis agere; Vnde merito apud Canonistas, præsertim recentiores, ista secunda persona, vel iurisdicção Patriarchalis, omnino negligi, solumque ad dictas tres alias distinctio restringi solet.

Vbi autem particulares Apostolicæ Cõstitutiones non obstant, illa præsertim recetior Pij IV; tunc ista persona Patriarchalis considerabilis esset, in ordine ad iurisdictionem, vel potestatem Collegij Cardinalium sede vacante, vt infra disc. 4. aduertitur.

Quo verò ad tertiam personam Episcopi particularis Urbis, de illa agitur infra, agendo de Tribunali Cardinalis Vicarij, qui istas partes nomine Papæ explicat; Solique extrâ Vicarij iurisdictionem, remanere videntur ea, quæ concernunt ambitum, vel districtum antiquum centum miliarium, (stante moderna eiusdem districtus restrictione ad solum ambitum quadraginta miliarum,) id præsertim, vt infra dictum spatium, nullus detur Metropolitanus. A.

Quamuis etenim hoc centesimi miliaris circundarium, ultra dictum districtum quadagesimi, sub nomine Prouinciæ Papæ, Aliqui explicare soleant, quasi quod ita cum Episcopis intra eundem ambitum existentibus Metropolitanis personam gerat; Erronea tamen opinatio est, quoniam, verè, ac propriè, sub nomine Prouinciæ Papæ, veniunt illi Episcopatus, qui sint exempti à quocumque Metropolitano, per uniuersum Orbem, sparsi, atque Apostolicæ Sedi immediatè subiecti, adeo vt cum eis ipse Papa ob appellationes, vel recursus, Metropolitanis partes gerere dicatur, absque hac finium restrictione, quæ legi diocesanæ potius referenda est; B.

Cum etenim moderna restrictio ad ambitum quadraginta miliarum, sit recens; Et (quod magis est,) præfinita per moderna Statuta Urbis, edita sub Gregorio XIII. ad tollendas antiquas cõtrouersias, quæ antiquitus cadebant super eorundem Statutorum Urbis extensione, ac ope-

A Tit. de præminent. disc. 1. & lib. 14. Miscellan. Ecclesiast. disc. 1.

B Eod. disc. 1. de præminent.

ac operatione, quæ prætendebatur intrare solum in locis subiectis oneribus fallis, & locatici, vt præsertim in Regalium sede aduertitur; C. Receptum verò principium sit, quod à finibus temporalibus arguere non licet ad spirituales, vel ecclõtrâ, vt in iurisdictionali materia, & alibi pluries habetur; D. Hinc proinde dicti moderni fines laicales in tẽporalib. fortè ob antiqui Romani Imperij dissolutione aliasque tẽporalis dominationis crebras mutationes, immutati, vel præscripti, præiudicare non debent finibus spiritualibus, qui ab initio statuti sunt.

Et quamuis valdè in contrarium vergeat praxis præfati Tribunalis Cardinalis Vicarij, quod scilicet eius iurisdicção, ultra dictum ambitum se non extendit, in ea cumulatiua cognitione causarum, etiam in prima instantia, quam habet, cum Episcopis, vel Ordinarijs localibus, vt infra in ipsius Rubrica particulari aduertitur; Non tamen exinde ad amissionem huius territorij spiritualis inferri potest, quoniam non implicat, quod Papa consideratus tanquam Episcopus, sui Vicarij facultates intra hunc breuiorem ambitum restrinxerit; Eadem verò iurisdictionem sine restrictione pro se retinuerit, cum receptum sit, vt possit Episcopus, etiam nullum habere Vicarium.

Vel (& probabilius) rectè in iure datur, vt intra limites diocesis, vel territorij, inferior Prælatus iurisdictionem etiam generalem, & ordinariam præscribat, Episcopus autem, & Diocesanus aliquos actus diocesanos adhuc retineat; E. Et sic quod Episcopi locales, qui intra hunc districtum dantur, compatibiliter cum Episcopo Romano, contra istum, eiusque Vicarium alios actus præscriperint; Extrâ verò præscriptionem remaneat ista prærogatiua iurisdictionis in secunda instantia, priuatiuè ad quemcumque alium Metropolitanam, potius antiquo iure territoriali, vel diocesano, quam iure metropolitico, vel pontificio.

Illud autem receptum est, vt illi actus, quos Papa, vel per se ipsam, vel per eius Vicarium gerit hanc personam repræ-

C Sub tit. de Regal. disc. 72. & 94. & de præminent. disc. 1.

D Tit. de iurisdic. disc. 1. cum plur. seqq.

E Eod. disc. 1. & seqq. de iurisdic.

sentando, subiaceant Apostolicis Constitutionibus, alijsque obstaculis, ac prohibitionibus, quibus generaliter alij Diocesanis, seu locorum Ordinarij subiacent, quoties non constet de diuersa voluntate, Pontificiam auctoritatem quoque interponendi, atque obstantijs derogandi; Vnde propterea. Si (ex. gr.) nouæ fundationi Conuentus, vel Monasterij in Vrbe, vel districtu assensus tribuatur, ita satisfactum censebitur vni ex requisitis consistenti in consensu Ordinarij; Non tamen exinde inferri poterit, vt satisfactum censeatur alteri requisito beneplaciti Apostolici, minusque derogatum, vel dispensatum censeatur, Canonum, vel Apostolicarum Constitutionum obstantijs, cum similibus, quibus eadem ratio congruat. F.

Illud autem peculiare in ista persona Episcopi Urbis dignoscitur, vt ex speciali prouisione, non subiaceat decretis generalibus Sacrarum Congregationum, lius præsertim, quæ Episcoporum negotijs præposita est, quibus alij locorum Ordinarij subiacent, dũ Papa hanc diocesim, præiens administrat per suum Vicarium, ac etiam in plerisque actibus per particularem S. Congregationem, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, vt aduertitur infra disc. 13. & 24. in quibus de ista Congregatione, & de Tribunali Vicarij agitur; In reliquis autem hanc personam concernentibus, sufficet relatio ad eam, quæ inferius habetur in dictis disc. 23. & 24. in quibus de dicto Cardinali Vicario, præfataque Apostolicæ Visitationis Congregatione agitur.

Circa quartam personam Principis, ac Domini temporalis Status Ecclesiastici immediati, ac mediati; Quoties de superius enunciata voluntate non constat, interponendi scilicet etiam Pontificiam auctoritatem; Tunc in papalibus legibus, ac ordinationibus præfatum temporale dominium, vel regimen concernentibus, generaliter procedunt omnia ea, quæ de iure statuta sunt in quolibet Principe laico, super exemptione, vel immunitate clericorum, aliarumque ecclesiasticarum personarum à foro, & legibus, ac oneribus

F Sub tit. de Regular. disc. 23. & inf. disc. 24. agendo de Tribunali Cardinalis Vicarij.

bus laicalibus; Ideoque omnes quaestiones desuper cadentes, facti, ac voluntatis potius, quam iuris dicuntur, an scilicet alteram Papalem, seu Apostolicam auctoritatem interponere, & commiscere voluerit, ut in plerisque sedibus frequenter aduertitur, atque Aegidiana praesertim Constitutionis quotidiana praxis docet; Unde propterea receptum est, ut actus iurati etiam inter laicos, laicalibus legibus, ac statutis non subiaceant, quamuis papali confirmatione munita sint, quous confirmatio actus principatus, vel dominii temporali sit referibilis. G.

Quatenus itaque pertinet ad hanc personam Principis, ac Domini temporalis; Inter scribentes, plures subiectionis, vel
13 potestatis respectiue disputantur quaestiones, cum consueta opinionum varietate, inter diuersos professores, Theologos scilicet, Canonistas, & Legistas respectiue, ac etiam inter illos eiusdem professionis, sed diuersarum regionum, ultra scilicet, & citra montes; Earum autem reassumptio, ac formalis disputatio, incongrua est huic operi, continenti solum Curiae Romanae relationem, ac statum, pro practica instructione fori externi, iuxta opiniones, quae in eadem Curia receptae sint, ideoque illa argumenta, quae in contrarium deduci solent scholarum, siue Academiae, pabulum in eadem Curia reputantur, pro ingeniorum exercitio; Siue ferunt forum internum, de quo ad professorem fori externi agere non pertinet.

Potissima vero quaestio est, circa huius dominii temporalis causam, vel originem, & ex qua de consequenti inferri solet ad altum dominium, vel superioritatem, quam
14 poenens Imperatorem adhuc superesse, nonnulli, ac praesertim ultramontani opinantur; Aliqui enim hoc temporale Ecclesiae, & Papae dominium referunt, adeo famigeratae donationi Constantini in Gratiani Decteto relatae; H; Alij concessionibus, ac respectiue donationibus diuersorum Imperatorum, & Principum, praesertim Caroli Magni, Ludouici eius filij, Pipini, & Comitissae Mathildae; Alij vero, (& pro meo iudicio probabilius)

voluntariae deditioe populum, qui per Romanum Imperatorem in Orientalibus partibus residentem, derelicti, atque ab incurfionibus infidelium, & barbarorum, iuxta Principis obligationem non defensi, sed ad barbarorum seruitutis iugum redacti, per quod prius Imperium de facto abolutum erat, dum iugum excutientes, praestinaeque libertati restituti, alterius Principis dominio, ac protectioni se dare potuerunt; Potissimum vero Summo Pontifici, qui, (ut habetur infra occasione quaestionis territorialis) tanquam Christi Vicarius, habituale dominium totius Orbis habebat.

Quaecumque vero opinio retineatur, etiam si prima, vel secunda, non exinde tamen resultat dicta consequentia, quam aliqui deducunt, & praesertim Germani, qui Imperiali potestati adulantur, quoniam iuris propositiones, cum quibus ipsi procedunt, generaliter, ac in abstracto sunt verae, manifesta vero fallacia est in applicatione.

Verum siquidem est principium, tam in feudali materia, quam alibi insinuat, quod nemo potest facere sibi aequalem, quodque Imperatori, vel alteri Principi
15 conceditur facultas faciendi Ciuitatum infeudationes, aliasque concessiones, dependentes tamen, cum retentione saltem alti dominij, ac illius maioris superioritatis, quae vulgo *souerainete* dicitur, cum aliis Imperium, seu corona, formalem, ac omnimodam scissuram pateretur, quod non licet; I. Potissime vero, & clarius id non licet Imperatori; dum est Princeps electiuus, atque Imperium non habet ex propria
16 acquisitione cum vi armorum, ut aliqui Reges, & Principes habent; Ideoque ei non congruit titulus domini, ut sibi congruere praetendunt Principes per acquisitionem, sed potius ille, mariti, vel primi ministri, & gubernatoris Reipublicae, quae est domina, et a qua potestatem trahit; Et consequenter, in eo clarior est defectus potestatis, donandi, ac diuidendi pleno iure.

Adhuc tamen, clarus est defectus applicationis in Papa, ob diuersam peculiarem

17 rem rationem, quae alijs inferioribus etiam Ecclesijs concessionarijs non congruit, ratione scilicet habitualis dominij totius Orbis, quod Christus Dominus ex eius claro testimonio ad se traxit, ut latius infra in quaestione territoriali. Et consequenter, quando Imperator, vel alter Princeps, penes quem residet solum actuale Imperium temporale reddat domino habituali; Tunc iste, non ex concessione cedentis, nouum ius meriti dicitur, sed proprium tanquam per remotionem obstaculi pleno iure, tam actuali, quam habituali, continuare; Ad instar eorum, quae habemus in refutatione feudi, vel emphyteusis, quae domino directo fiat; Siue illius cessionis, quam usufructuarius faciat proprietario, cum similibus, in feudali sede insinuat. L.

Ab ista vero difficultate, magis excepta est, magisque plana remanet tertia opinio, cui magis adherent docti, beneque
18 versati Canonistae; Aliae siquidem opiniones magis vulgares, seu populares esse videntur. Sed quidquid sit, certum est in praxi, ac extra contouersiam, ut hoc temporale dominium Papae, & Ecclesiae Romanae omnimodam habeat plenitudinem, ac independentiam; Quaestione remanente in eadem feudali materia peracta, in illis laicalibus concessionibus, quae inferioribus Ecclesijs factae sint, ut ibi aduertitur. M.

Altera est quaestio, an Papa, illum considerando tanquam Principem temporalem, seu (ut iidem canones dicunt) N. tanquam Regem diuersum ab altera persona Summi Pontificis, in puncto iuris communis, praescindendo etiam a prohibitione, seu
20 obstaculo Bullae B. Pij V. de non infeudando, facere possit infeudationes, aliasque concessionis praeventiuas, vel abusiuas, quarum casus post eius mortem contingat, de tempore successoris, quem ita supplantare videatur; Atque plerique, & praesertim Ultramontani id negant, ex eadem superius insinuata ratione, quod agatur de Principe electiuo, quodque diuersa sit suprema Pontificia potestas, quae

a quocumque humanae legis vinculo soluta est ab ista temporali, qua vitur Papa in istis concessionibus, cum eas faciat, non tanquam Pontifex, sed tanquam Princeps, a Republica temporali electus.

Adhuc tamen Curia, diuersam sequitur opinionem, quod scilicet haec ratio prohibita supplantationis successoris, Papam non afficiat; O. Verumtamen est, quod hodie ista quaestio cadit solum in concessionibus officiorum, aliarumque rerum allodialium, vel indifferentium, dum respectu infeudationum dicta Bulla Pij V. quae in feudali materia pluries enunciata est, 21 huiusmodi quaestionum occasionem subtulit. P.

Ista vero personarum distinctio, Principis scilicet merè temporalis contradistincti a Summo Pontifice, qui circa spirituales, seu Pontificiam potestatem est
22 idem, quales erant, Petrus, Linus, Cletus, Clemens, & alij primi, nullum temporale dominium actuale habentes, magnum producere videtur argumentum ligaminis, difficilius dissolubilis, quod a praefata Piana constitutione de non infeudando, atque a reiteratis iuramentis in conclauis, & extra super eius obseruantia praestitis resultat, dum ita id redolere videtur quendam contractum qualificatum, seu conditionalem, per quem prophana Respublica per Collegium Cardinalium, tanquam per temporalem Senatum representata, in eum transfert prophana principatum, diuersum ab usu clauium, quae per organum electorum, iuxta catholicam fidei praecipua, ex operatione Spiritus Sancti; immediate recipit a Deo. Sicut enim si alter Princeps, vel priuatus, per gratium, vel correspectiuum contractum, rem suam merè temporalem Papae concederet, sub aliqua lege, vel conditione, ad cuius obseruantiam ipse cum iuramento se obligaret, tunc omnis iustitiae ratio exigeret, ut ad promissae fidei obseruantiam teneri deberet; Ita pariter dicendum videtur in ijs, quae hoc temporale dominium concernunt, diuersum a clauium usu, ac a merè pontificio munere; Super quo ta-

P. 2. Relatio. B men

G De hoc habetur sit. de dote disc. 22. & 143. sit. de iudic. ad materiam Aegidiana, & alibi pluries.

H. in cap. Constantinus. 96. distinct.

I Tit. de feud. disc. 1. & 60 & tit. de dote disc. 146. & alibi.

L. Sub cit. de feud. disc. 60.

M. dicto disc. 60. de feud.

N. Relati sub tit. de praeminent. disc. 1.

O De hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 3. sub tit. de emphyteus. disc. 1. & sub tit. de penson. disc. 1.

P. De hac Bulla Piana sub tit. de feud. disc. 1. & 4. & 61. ac pluries.

men nil firmatur, sed integrum locum veritatis relinquendo, hæc obiter, ac discurſiue dicta ſint.

Hinc proinde, manifeſto laborant æquiuoco Moderni, & præſertim aliqui
23 Moralles, qui vnam perſonam vel poteſtatem cum altera confundentes, pariſormiter in vtraque, eadem adhibent rationes, vel terminos, ſuper poteſtate diſponendi de officijs, ac redditibus, ac aliquas faciendi elargitiones coniunctis, dum alia ſunt ea, quæ ad vnum, & alia quæ ad alterum principatum pertinent.

Et quamuis Aliqui hanc diuerſitatem ſtriçtè ponderantes, ex illa ſcandalum
24 potiùs concipere ſoleant, quãdo vident Eccleſias, & eccleſiaſticos huius temporalis Diſtinctionis, pariſormiter cum laicis, abſque aliqua diſcretionem, gabellis, alijsquæ veſtigialibus, & oneribus laicalibus ſubijci, quaſi quod Principi ſæculari id non liceat; Attamen mixtura alterius pontificiæ perſonæ, quæ in hoc adhiberi ſolet, aliquas habet peculiareſ rationes, in Regalium ſede recensitas, ibiquæ vidẽdas. Q.

Demùm quoad primam, ac principalem perſonam merè pontificiam, per quam Chriſti generalis Vicarius, & Ec-
25 cleſiæ vniuerſalis Epicoſopus, & caput viſibile, repræſentatur; Quamuis ijdem dictarum facultatum profeſſores, cum magna opinionum varietate, præſertim inter Theologos, & Canoniſtas, quorum primi magis reſtringunt, poſteriores vero magis ampliunt pontificiam poteſtatem, plures diſputent quæſtiones, quæ ex ſequentibus principijs, vel propoſitionibus deſumuntur; Attamen eis neglectis, in hac inſtructiva relatione, illæ inſinuãtur propoſitiones, quas Romana Curia recepit, ac præctice retinet, ac ſeruat.

Primò ſiquidem, in adeò famigerata maioris poteſtatis quæſtione, quam præſertim Theologi in ſcholis, vel circulis
27 frequenter diſputare ſolent inter Papã,

& Concilium generale, ſeu æcumenicum; Hodiè extra controuerſiam in Curia receptum eſt, quod Papa ſit ſupra Concilium, atquæ conciliaribus decretis derogare, vel diſpenſare poſſit; Ea ſolùm cõcilioꝝ generalium peculiari circumſtantia admiſſa, vt non veniant ſub derogatorijs generalibus, quarumcumque obſtantiarum, ſed egeant ſpeciali mentione; Excepto Cõcilio Tridentino, quod venit ſub derogatorijs generalibus. R.

Huius autem ſpecialis mentionis neceſſitas, non percutit defectum poteſtatis, vel formam præciſam, ſed ſolùm præſumptionem voluntatis, quæ in dubio non præſumitur; Ideoque, ſi ex verborũ amplitudine, ſiue ex argumentis, vel facti circumſtantijs conſtet de hac voluntate quamuis præſumpta, tunc ea debet attendi S; Prout extra omne dubium eſt, nul-
28 lum poſſe dari legitimum concilium generale abſque auctoritate Papæ, ad quem munus conuocandi concilia generalia pertinet; Niſi ipſo volente alter indicet, ſiue indiçtionem factã approbet, atq; confirmet.

Item in conclau ſedis vacantis per obitum Urbani VIII., in quo electus fuit Innocentius X., in forma extraiudiciali, apud ipſos met Cardinales diſputatũ
30 fuit de celebri puncto, per antiquiores etiam Canoniſtas, & Morales diſputato, circa capitula, quæ in conclau fieri ſolent, cũ iurata promiſſione de illis obſeruandis; An ſcilicet licitè illa fieri valeãt; Et quatenùs ſic, an itã afficiant nouum Pontificem electum, vt non poſſit cum ſe ipſo diſpenſare, ſequè à iuriſiurandi obligatione abſoluere; In hoc autem, non modica dignoſcitur opinionũ diuerſitas; Magis tamen recepta praxis docet negatiuam, vt ſcilicet ea non obliget Põtificẽ electũ, et quatenùs obliget, vt poſſit cum ſe ipſo diſpenſare; Niſi agatur de capitulis, quæ concernant Eccleſiæ vniuerſalis neceſſitatem, vel magnum profectum. T.

Vt

R. lib. 14. in annot. ad Concil. Tridentin. diſc. 1.

S. ibid. & ſub tit. de decim. eod. lib. 14. diſc. 1. & ſeqq.

T. iſtam quæſtionem benè diſputat Cardinalis Brancacius in eius diſſertatione 3. pagin. 119. & ſeqq. ubi referuntur omnes eam diſputantes.

Vt exempli gratia dici poſſe videtur de capitulis conclauium, in quibus durante teterrimo ſchysmate, exorto tempore Urbani VI., ob electionem Clem. VII. Antipapæ, mortuo eodem Urbano,
31 eiùſquæ ſucceſſore Bonifacio IX., ſucceſſiue electi fuerunt, Innocentius VII., & Gregorius XII., ambo hac lege iureiurãdo firmata, vt pro Eccleſiæ vnitatem incũda, etiam cum Pontificatus abdicatione, operã daret; Et cui legi quoq; ſe adſtrinxit Ioannes XXII., aliã XXIII., ſubſcripta ſchedula in Concilio Conſtantiẽſi; Quapropter, cum ſimul viuerent dictus Gregorius XII., & Ioannes XXII.; Atquæ eodem tempore Benedictus XII., dictus XIII. ſucceſſor Clementis VII. Antipapæ, in Hiſpania, ſe gereret pro Pontifice, vnde propterea Eccleſia in tres partes diu ſciſſa eſſet; Hinc vt eidem tãdem vnio, & tranquillitas redderetur, per idẽ Concilium Conſtantiẽſe, declaratum fuit deueniri poſſe ad noui Põtificis electionem; Non quidem deponendo Pontificẽ in ratione auctoritatiua, ſed in ratione declaratiua, aperiẽdo .ſ. quod nullus eorum benè occuparet Sedem papalẽ, eamq; pro vacua habẽdo; Ac propterea à Collegio Cardinalũ in numero viginti octo, qui tunc Conſtantiã aderant, atquæ ab alijs viginti electoribus ex diuerſis nationibus ab ipſo Concilio deputatis, electus fuit Martinus V.; Iteque actus anſam præbuit aliquibus ſubſtinẽdi opinionem, quod Concilium ſit ſupra Papam, dum aliã abſque ſuperioritate deponi non potuiſſent præfati Pontifices Gregorius, Ioannes, & Benedictus.

Verùm nõ eſt argumentũ, quod cõcludat, quoniã ea nõ fuit auctoritatiua deſcriptio, ex proprio libito, ſeu ex eius facultate tanquã ſuperioris, & domini, ſed potius fuit declaratio eius quod inerat, quod ſcilicet Benedictus non eſſet legitime electus, ac proinde reſpectu illius nõ cadit quæſtio ſuperioritatis Cõciliij, quia ipſe non erat Papa, nec vnquam fuit Papa; Alij verò duo, quia in Concilij iudicium conſenſerant, affecti remanent obligatione renunciandi, quam fecerant. Siue potiùs dicendum eſt, quod tunc

aliqua adefſet veri, ac legitimi Pontificis incertitudo, aliãquæ accederent iuſtæ cauſæ, ob quas vt redderetur Eccleſiæ pax ad huiusmodi determinationes deuenire oportuit; Verùm ſuper his integer locus veritati relinquatur, nil firmãdo.

Circa initia pontificatus eiùſdem Innocentij, per aliquos Theologos ultramontanos, excitata fuit, ſeu potiùs renouata quæſtio, an poteſtas Pauli Apoſtoli, cõequalis, atquæ æquæ principalis fuerit cum illa Petri, in Summo Pontificatu, ſeu in regimine Eccleſiæ vniuerſalis; Et partem affirmatiuam conati ſunt defendere, per quamplures Sanctorum Patrum auctoritates malè intellectas, vt patet ex libro anonymi Auctoris Gallica lingua conſcripto, qui in lucem prodijt de anno 1645.; Verũ per Congregationẽ particularem, cõſtitutã ex multis primi nominis Theologis, maturè diſcuſſo articulo, damnata fuit iſta opinio ſuper cõquali poteſtate, firmando Eccleſiæ primatũ indiuiduũ fuiſſe in ſola perſona Petri; Tum ex eo quod Chriſtus, cũ eo ſolo, in numero ſingulari, loquutus eſt dicens *ibi tibi dabo clauẽs*; Et *ibi paſce oues meas*; Tum etiam ex rationibus, quæ in alijs inferioribus, Eccleſijs paſſim assignari ſolent, monſtruoſitatis ſcilicet, ac reſpectiue abſurdi, dandi duo capita in vno corpore, ſiue duos ſponſos vnus ſpõſæ, cum alijs fundamentis plenè deductis per eos, qui iſta occasione, formales tractationes ædiderunt de primatu Petri, & de vnitatem põtificatus, quodquæ propterea Paulus, ab ipſo Petro aſſumptus fuerit, tanquam adiutor, ſeu Vicarius, cum ampla poteſtate, non autem, vt eſſet ſibi æqualis, quod facere non poterat, vt potè contrarium iuri Diuino, cui Papa derogare, vel diſpenſare non poteſt. V.

Sub eodem Põtificẽ diſputatum quoquæ fuit de poteſtate Papæ, tollendi, etiã
34 ſine probatione cauſæ, Cardinalibus, & alijs quibuſcumquæ, dignitates, officia, & beneficia, quamuis ſæcularia, quæ de ſua natura perpetua eſſent; Atq; circa ea, quæ concernunt forum externum, deciuſum fuit per Rotam affirmatiue, quamuis de-
P. 2. Relatto B 2 ſuper

V. Diana, & de Bellis in tract. de primatu, ſeu vnitatem Petri, & Alij.

Q. ſub tit. de Regal. diſc. 55. & 56.

super decisio publicè edita non fuerit, dum etiam, quæ desuper Canonistæ, magis autem Theologi disputare solent, percutiunt potius forum internum, ut particulariter in Regalium sede aduertitur. XX.

Item sub eodem Pontifice, occasione suppressionis paruorum conuentuum, seu monasteriorum Regularium, promulgata fuit quædam scriptura Auctoris anonymi, super assumpto, quod potestas ac iurisdictio Papæ, etiam cum personis, vel in causis ecclesiasticis, extra suam temporalem ditionem, esset potestas in alieno territorio, hoc est in territorio Principis sæcularis, ideoque sine istius placito illa exerceri non valeat, in ijs præsertim quæ consistunt in exequutione reali, ex regulis generalibus prohibentibus exercitium iurisdictionis etiam cum proprijs subditis in territorio alieno sine consensu domini territorij Y. Verum, valde maturè examinato puncto per S. Congregationem vniuersalis Inquisitionis, hæc opinio expressè damnata fuit, atque declarata, non solum temeraria, sed etiam hæresi, vel schismati proxima, quoniam verius est ut ius Papæ sit territoriale, in toto mundo, qui dicitur eius diocesis, quodque de consequenti, ius Episcoporum in qualibet diocesi sit etiam territoriale, non autem in personis, & causis certis.

Et quoniam in dicta anonyma scriptura incerti Auctoris, elaboratè quidem, ac ingeniosè, (cum aliqua tamen confusione) cumulabantur auctoritates, ac rationes, quæ diuersos casus, diuersosque effectus percutiunt; E conuerso autem idè fiebat in aliquibus, pariter nimium elaboratis, ac ingeniosis scripturis, quæ in Curia, & alibi editæ fuerunt super eius cõsultatione, iuxta frequentiorè modernum verè damnabilè stylum examinandi quæstiones generaliter, ac in abstracto, prin-

cipaliter immorando in cumulo auctoritatum, absque debita casuum distinctione, ex qua resultat congrua applicatio, & sine qua pernecessè in æquiuoca inciditur.

Cum mihi, circa professionis initia, per aliquos eiusdem Cõgregationis Cardinales, inunctum esset onus examinandi dictas scripturas hincinde, illarumque fundamenta referendi, atque meum votum proferendi, explendo illud munus, quod per Auditores vel studij adiutores in Curia explicari solet; Hinc proinde in voto desuper edito, aduertebam quod in ista quæstione, nimium disputata, tam per Theologos, quàm per Canonistas, ac Legistas, ac etiã per Rotam Romanam, occasione agendi de potestate Papæ derogandi concordatis; Omnino procedendum est cum distinctione plurium casuum, quorum singuli diuersas habent rationes, ideoque erroneum esse credebam, eandem quæstionem examinare in abstracto, atque auctoritates quæ pro vna vel altera opinione habentur, in confuso cumulare, ut in dictis scripturis fiebat. Z

Tres itaque aduertebam distinguendos esse casus, quorum; Primus est in temporali ditione Ecclesiæ, quæ sub nomine Status Ecclesiastici explicatur; Alter in alienis principatibus, & dominijs respectu clericorum, & personarum ecclesiasticarum vtriusque cleri sæcularis, & regularis siue respectu sæcularium, in causis de sui natura ecclesiasticis, ac merè spiritualibus, ut ex.gr. sunt illæ fidei, vel matrimoniales, ac similes; Et tertius generalis, circa potestatem temporalem, etiam cum personis vel causis sæcularibus, & in rebus temporalibus.

Super primo casu, nulla cadit quæstio, dum Papa est etiam Princeps, vnde propterea omnes scribes, tam legistæ, & Ca-

X. de hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 148.
Y. de ista materia exercitij iurisdictionis in alieno territorio agitur lib. 3. de iurisdict. disc. 20. & lib. 14. in Miscellan. eccl. pluries.

Z. de ista quæstione agunt præ ceteris alios referentes Dec. & Nauarr. in cap. nouit de iudic. Couarr. in reg. peccatum par. 2. S. 9. num. 7. Restaur. Gabald. de Imperatore quæst. 50. Molin. de iust. & iur. tom. 1. quæst. 29. Dian. tom. 1. resol. 121. Marta de iurisdict. par. 1. c. 17. & seqq. Valasc. de iure Regni Portugall. par. 1. S. 4. cum alijs per add. ad dec. 2. par. 3. rec.

Canonistæ, quàm Theologi concordant super libero ac plenario exercitio iurisdictionis, & potestatis indefinitè, etiam cum personis, & causis sæcularibus; Quãuis enim aliqui (ut superius insinuatum est), occasione agendi de quarta persona Principis sæcularis, quæ in Papa consideratur, excitent difficultatem, super alto dominio, ac superioritate Imperatoris, Attamen vbi etiam hæc opinio (verè danda, ut potè nulli probabili fundameto innixa) ex abundanti admittenda esset, adhuc ista superioritas seu sòuranitas, non impedit exercitiũ plenariæ iurisdictionis, & potestatis, ac supremi principatus independentè ab ipsomet superiore, ut docet notoria praxis Regnorum, & principatum, quæ obtinentur iure feudi regalis ac dignitatis, ab Ecclesiâ, vel ab Imperio.

Quouero ad secundum casum iurisdictionis ac potestatis territorialis, cum personis vel in causis merè ecclesiasticis, ac spiritualibus, à laicali potestate omnino exemptis, adeo ut nulla competentia quæstio intret; Duo erant præfati anonymi scriptoris fundamenta, ex quibus hoc ius territoriale negabat; Primò nempe ob incompatibilitatem dominijs eiusdem rei in solidum penes duos eodè tempore, et consequenter cum territorium sit Imperatoris vel Regum & Principum respectiue, illud non possit esse etiam penes Papam; Et secundò ob incõcussam ac generalem principatum praxim, & obseruantiam, quod litteræ, aliæque prouisiones Apostolicæ, etiam super collatione beneficiorum ecclesiasticorum, vel super prouisione Episcopatum, alijsque rebus, indubitanter ecclesiasticis, exequutioni non demandantur, nisi per Principem vel Dominum sæcularem exequutoriatio concedatur.

Manifestum verò æquiuocum ista fundamenta continere obseruabam; Quatenus enim pertinet ad primum incompatibilitatis plurium dominorum in solidum; Ultra distinctionem, de qua in casu sequenti, dominijs actualis & habitualis; Vbi etiam procedendum esset cum

opinione, quæ hæc distinctionem non admittit, sed plenum ac omnimodum dominium, seu ius territoriale, tam actu, quàm habitu Principi sæculari desert, ut infra; Adhuc tamen ista incompatibilitas non intrat, cum illa procedat ex eodem respectu, siue pro eodem effectu, secus autem pro respectuum diuersitate, pro qua, rectè dantur eodem tempore plures eiusdem rei domini, ut alibi pluries, & præsertim in materia feudali aduertitur A; Ideoque stant benè simul, ut vnus superior habeat dominium vel ius territorij pro vno respectu, vel genere iurisdictionis temporalis; Alter verò pro alio genere iurisdictionis spiritualis, ut notoria, & incõcussa praxis docet in Episcopis, alijsque Prælatibus habentibus territorium, quod sub nomine diocesis communiter explicari solet, cum libero exercitio iurisdictionis in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, independentè à potestate sæculari, cum qua solum quæstiones occurrunt, super cõpetentia vel incompetencia, quando de illis causis agatur, quæ prætendatur, ut ad laicalem potius, quàm ad ecclesiasticum forum pertineant, vnde propterea istud fundamentum leuissimum, verèque contemptibile videtur.

Tale quoque esse dicebam alterum deductum ex contraria praxi, vel obseruantia Principum sæcularium, non permittendi exequutionem litterarum, aliarumque prouisionum Apostolicarum, absque ipsorum scientia, & cõsensu, quoniam, quidquid sit, an id iure, vel iniuria sequatur, (super quo integer locus veritati relinquatur); Etiam illi, qui iure fieri posse sustinent, id non referunt negationi territorij, quodque Papa indigeat communicatione aliqua iurisdictionis, ac potestatis Principis sæcularis in causis ecclesiasticis ac spiritualibus, cum nullus ex catholicis scriptoribus id asserat, etiã ex ijs, qui Ecclesiasticæ potestati insensissimi, expressè damnati sunt ab Ecclesiâ, eorumque lectura est interdicta B; Sed id referunt cuidam extraiudiciali notitiæ de facto, quam expedit habere de om.

A. sub tit. de feud. disc. 61. & seqq.

B. ut præsertim est Salgad. in tract. de retentione bullarum ac de Regia protestatione, & similes.

omnibus ijs quæ in proprio dominio vel principatu contingunt, ac sub hoc pallio vel pretextu, publicæ quieti principatus, ac Reipublicæ regimini, & iuribus, præiudicia generentur, & sic per quædam speciem notitiæ extrajudicialis de facto; Ad instar illius cognitionis, quam pro aliquarum regionum styli Iudices sæculares habere solent de clericatu, vel de usura, siue de matrimonio, ut nudi facti, non autem iuris, ac pro sola temporalitate, seu effectibus temporalibus, qui incidenter, & consequentiæ exinde resultant. C

Quinimò in aliquibus principatibus, qui per Principem absentem reguntur per Vicarios, aliosque Magistratus, ut in Italia docet praxis Regnorū Siciliæ, Neapolis, & Sardinæ, & Ducatus Mediolani, etiam literæ, ac prouisiones ipsiusmet Regis, executioni non demandantur, nisi præuia hac notitia, & consensu, qui sub exequutoriationis termino explicari solet D; Atque in ipsomet Statu Ecclesiastico, in illis prouincijs, quæ per Cardinales Legatos reguntur, idem praxis docere videtur.

Corruentibus itaque dictis fundamentis, nullum aliud superest, cui hoc assumptum inniti valeat, cum omnia, quæ desuper ponderari solent, percutiant tertium casum, circa temporalia ut infra, Et quidem prorsus incongruum esset, ac irrationabile, quod cum ad Pontificem pertineat, singulariter, ac priuatiuè ad quemcumque alium, territoria in spiritualibus, separare, vnire, ac assignare, nec non Episcopos, aliosque Prælatos constituere, qui territorium habent, ut infra, ipse territorio carere debeat.

Item quia non verificarentur diuina vtriusque Testamenti oracula Christo Domino conuenientia, & ex eius persona Papæ tanquam eius vicægerenti in terris; Ut in veteri Testamento *ibi possessionem tuam terminos terræ*; Et in nouo *ibi data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*; Et *ibi quodcumque ligaueris vel solueris super terrâ, &c.* quoniã si sola iurisdictione in personis pro certis causis data esset, sufficiebat illud oraculum *pasce oves meas*.

Obiectum autem fieri solitum, quod Christus Dominus non curauerit Regnum terrestrè, sed quod cœlesti congruant ea, quæ de eius Regno, ac dominatione in vtroque Testamento habentur; Adaptabile videtur alteri casui potestatis temporalis, de qua infra, sed quoad istum potestatis spiritualis in personis, & causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, nulla cadit ratio dubitandi, cum istæ sint extratorum ac potestatem laicalem; Ideoque merito hæc opinio damnata fuit, cum reuerà, citrà hæresim, vel schysma, negando ecclesiæ vnitatem, eiusque caput visibile, à quo cætera membra dependentiam habeant, non sit sustentabilis; Aliàs etenim esset dare, quod capita membris, vel superior à subditis dependentiam habere deberet, cum inter Catholicos, quatenus ad spiritualia pertinet, omnes Reges, & Principes Papæ subditi sint.

Quonero ad tertium casum, potestatis scilicet Papalis in laicos extratemporalis Ecclesiæ ditionem, in aliorum Principum Imperijs, vel dominijs; Ille distinguitur in duas causarum species; Aut enim agitur de illis, quæ concernunt finem spiritualem, ac supernaturalem, quæ nempè agatur de rebus pertinentibus ad fidem cõseruandam, vel præseruandam, siue ad alia concernentia forum, ac salutem animarum, absque tamen consequentijs temporalibus; Et tunc ista species cadit sub secundo casu antecedenti causarum spiritualium, licet personæ sint sæculares.

Aut verò de illis, quæ originem habentes, vel motiuum à fide, vel spiritualitate, concernunt meram temporalitatem inconsequentiam, siue in executionem; Vel quod etiam agatur de causis, quæ citrà dictum finem supernaturalem fidei cõcernant civile, vel polyticum regimen Reipublicæ, quod in consequentiam influat etiam ad cõseruationem fidei, vel ad salutem animarum, ac extirpationem peccatorum, & scandalorum; Puta in depositionibus Principum, vel in adiudicationibus principatum, ac dominiorum magis vni, quàm alteri, ac in bellorum compositionibus, vel prohibitionibus,

bus, cum similibus; Et tunc non leuis quæstio est inter Ciuillistas, Canonistas, ac Theologos, quæ adhuc sub Iudice pædet, sub dicta determinatione nõ cadens; An scilicet ea potestas, quæ Papæ desuper tribuitur, dicatur territorialis iure suo, quod in Orbe tanquam in eius territorio exerceat; Vel potius ipse gerat suam iurisdictionem in causis, declarando scilicet, vel decidendo quid de iure statutum sit, ac fieri debeat, ad effectum, ut populus, vel ipsa Respublica tanquam territorij, vel Principatus domina habitualis, iudicatum exequatur cum potestate sua, adeo ut potestas Papæ, sit iudicij, non autem dominijs.

Illi etenim Canonistæ, & Theologi, qui maiorem Papæ potestatem tuentur, ut scilicet sit iure dominijs, vel territorij, id credunt, statibus illis Euāgelij verbis; *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; Ac etiam illis; *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, ut ita penès Christum, ac successiuè penès eius vnicum Vicarium, qui plenarias eius vices in terris gerit, resideat dominium, etiam temporale totius Orbis abdicatum à Romano Imperatore, alijsque Principibus temporalibus gētilibus; Ità tamen, ut illud sit habituale tantum, concessio Imperatori, alijsque Principibus christianis dominio actuali, sub lege, seu conditione rectæ administrationis, ob cuius defectum ipse Dominus habitualis, illud ei auferre valeat, & alteri concedere; Ad instar concessionis feudorum regaliū veræ dignitatis, quod importet quidem in feudatario omnimodum imperium, & potestatem, cum iure Principatus, absque eo quod Dominus directus, qui cõcessionem fecit, se ingerat, cumque in dictæ potestatis exercitio impediatur; Sed si feudatarius malè se gerat, non solum circa ea quæ concernunt fidelitatem, sed etiam malam subditorum, ac feudi administrationem, tunc rectè Dominus potest declarare caducitatem, ac feudum alteri concedere, iuxta notoria exempla Regni Neapolitani, cum similibus.

Atque ad id comprobandum, ponderant exempla, quæ præsertim per *Molinæ* loco supra citato recensentur; Nem-

pè circa dismembrationem partis Imperij orientalis, cum erectione noui Imperij occidentalis factam per Leonem III.; Concessionem factam per Gregor. V. Principibus Germaniæ iuris eligendi Imperatorem subiectum oneri accipiendi confirmationem, & coronam à Papa, cum certis præfinitis legibus, & obligationibus; Nec non concessionem factam per Zacchariam Regni Franchorum Pipino, præuia depositione Childerici, lunctis depositionibus factis Henrici IV. Imperatoris per Gregorium VII., & Othonis IV. per Innocentium III., cum alijs pluribus similibus, inter quæ recens habemus exemplum abdicationis Regni Navarra à Ioanne, eiusque vxore, cum eius concessione Regi Ferdinando Catholico nuncupato. E.

Alij verò è conuerso, pro maiori parte Ciuillistæ, ac etiam aliqui Canonistæ, cõtrariam sequentes opinionem, id referunt; Vel principaliter fini supernaturali fidei; Vel referunt potestati iudicij, non autem dominijs, aut territorij; Vel, ut credunt Theologi, potestati, quam habet Papa disponendi de rebus temporalibus, omnium Christianorum, non quidem directè, sed indirectè, nimirum in ordine ad bonum spirituale, & salutem animarum.

Quidquid autem sit, de vnius, vel alterius opinionis veritate, cui integer locus relinquatur, sub iudicio eorum, ad quos pertinet, (et quæ ita obiter relata sint, nil desuper firmando); In eo tamen clarum consistere dicebam æquiuocum, quod ea, quæ istum tertium casum percutiunt, præcedenti applicantur, sed malè, ob longè diuersas rationes.

Quamuis item nonnulli Episcopi, alijsque Prælati, ac Magistratus, vltra montes, quorum aliquibus, vbi etiam schysmatis macula obijci non valeat, aliqua tamen proximitas fortè congruere videtur, antiquas retineant opiniones, super æqualitate eorum potestatis in propria diocesi cum Papa, qui non possit citrà casus appellationis, ac recursuum, in eorum potestatis, ac iurisdictionis exercitio se ingerere, eosque impedire, quasi quod quilibet dicatur Pontifex in propria

C. sub tit. de iurisdic. disc. 64.
D. sub tit. de feud. pluries.

E. habetur sub tit. de præemin. disc. 29.

pria diocesi; Attamen, eodem themate retentio, conclusiue scilicet insinuandi opinionem in Curia iam firmas, ac receptas; Hæc opinio pariter damnata est, atque receptum, quod Papa tãquam Ordinarius Ordinarius, à quo omnis Episcoporum ordinaria iurisdictio immediatè descendit, concurrere potest cum quolibet Ordinario, tam in iudicialibus, auocando aliquas causas etiam in prima instantia, vt expressè determinatur à Concilio Tridentino, per quod quæstio omnino sopita videtur F; Quam etiã conferendo officia, vel beneficia, quamuis etiã nõ adfint Apostolicæ reservationes, vel affectiones, atque ad liberam Episcoporum seu Ordinarius collationem pertineant, quos præuenire potest; Licet nimium raro, ac non nisi ex magna causa id facere soleat, sed eius abstinentia, effectus est benè regulatæ voluntatis, ac laudabilis congruentiæ, non autem defectus potestatis. G.

38 Multa item Papæ potestati singulariter reseruata sunt, priuatim ad Episcopos, aliosque Ordinarios, vel Prælatos, vt potè solius pontificiæ potestatis, istaque sunt de duplici specie; Alia etenim talia sunt naturaliter, & intrinsecè iure suo natiuo ab ipsa primitiua Ecclesia inducta; Alia verò sunt accidentaliter talia, ob reservationes, quæ de eis per eorum Constitutiones, & decreta Summorum Pontificum, vel per Concilia generalia factæ sunt.

39 De prima specie sunt (exemplatiuè, seu demonstratiuè), erectiones Ecclesiarum Cathedralium, vel Metropolitanarum, earumque dismembrationes, diuisiones, vel vniones, quæ ad solùm Papam pertinent. H.

40 Item potestas cõdendi leges, antiquis legibus, & canonibus posituis contrarias, vel legi positivæ directè dispensandi, aut legem diuinam declarandi, seu interpretandi, cum huic dispensandi potestas non competat; Nec non generalia Concilia indicendi; Item Episcopos
41 creandi, seu confirmandi eos, qui ex cõ-

suetudine, vel Apostolica concessione à Principibus, vel à Capitulis nominati, vel electi, seu præsentati fuerint; Ac etiam creandi Cardinales, aliaque faciendi per vniuersum Orbem, quæ Episcopis in propria diocesi tantùm circa canonizationes Sanctorum, & indulgentias antiquitus nõ autè hodie cõcedebantur, cum similibus.

43 De altera verò specie sunt, reservationes beneficiorum ecclesiasticorum, ratione temporis, loci, personæ possessoris, vel qualitatis beneficii; Erectiones collegiatarum iuxta opinionem, quam Curia Romana tenet, ac seruat; Canonizationes Sanctorum, quæ hodiè priuatim ad Episcopos, etiam in proprijs diocesis, ad Summum Pontificem pertinent; Ampliores cõcessiones indulgentiarum; Dispensationes matrimoniales super gradibus prohibitis, aliaque dispensationes super incapacitate ad ordines, vel beneficia, cum similibus, quæ non generaliter à tempore primitiua Ecclesiæ, sed specialiter diuersis temporibus, per Sacros Canones, vel decreta Conciliorum, aut per Apostolicas Constitutiones Ordinarijs locorum interdicta fuerunt, ac Pontifici reseruata, iuxta regionum varietatè, quod scilicet citrà montes fortè magis restricta est Episcoporum auctoritas, quam vltra.

44 Super legibus Papalibus, quæstiones etiam cadere solent, an scilicet, non acceptatio, vel non vsus populorum, ab earum obseruantia excuset; Atque super hoc non modica dignoscitur opinionum diuersitas; Aliquibus indefinitè volentibus, quod cum potestas Papæ, non à populo, vt est illa Principum secularium, sed à Deo immediatè pendeat, idcirco necessarium non sit legum requisitum, super populorum acceptatione, vel vsu, et consequenter non sit in populorum facultate non acceptare, vel non vti; Alij verò distinguunt, inter leges, quæ concernunt fidem, aliaque supernaturalia, præcisè respicientia forum conscientiæ in his quæ sint intrinsecè mala, & peccaminosa; Et illas leges, quæ nouam obligationem

gationem, vel nouam formam inducunt, aliàs non præcisè necessariam super actu, qui etiam sine illa, intrinsecè malus, & peccaminosus non esset, vt scilicet primo casu procedat prima opinio, quod in populorum, ac subditorum potestate non sit Pontificiam legem non acceptare, ac non obseruare; Secus autem in altero, in quo non vsus, vbi præsertim habeat verisimilem scientiam, & tolerantiã Papæ, attendi solet; Adhuc tamen veritati locus relinquitur, cum desuper meum, nõ sit iudicis partes assumere. I.

45 Nimiam verò prolixitatem huic relationi incongruam, importaret reassumptio omnium eorum, quæ Pontificiam potestatem concernunt, ideoque in reliquis recurrendum erit ad illos Canonistas, & Theologos, qui de illa formiter pertractare professi sunt, cum præmissa insinuasse satis videatur, tanquam notabiliora, pro foro externo practico; Alia verò, vel forum internum, vel ceremonialia, aut politica negotia concernunt, de quibus, vt initio præmissum est, meæ non sunt partes agendi.

46 Posita verò potestate; Frequenter in praxi disputari solet de voluntate, an scilicet, & quando Papa voluerit eius potestate vti; Super hoc autem certa regula generalis cuiuscumque casui applicabilis statui non potest, cum sit quæstio voluntatis, ideoque facti potius quam iuris, ex singulorum casuum circumstantijs decidenda, ac propterea dicitur materia iudici arbitraria, quãdo scilicet, surreptionis, vel obreptionis vitium, aut intentionis defectus adesse dicatur; Idque nimium ex verisimilitudine pendet; Potissimè verò ex stylo Datarie, & Cancellariæ Apostolicæ, & an quod concessum apparet, solitum sit concedi, necnè.

In Papa verò id videtur speciale, quod non solùm in eo militat eadem regula, quæ generaliter militat in omnium Principum gratijs, & concessionibus, vt scilicet factæ censeantur sine præiudicio iuris tertij, sed ob eius regulam Cancellariæ

de iure tertij quæstio non tollendo, istius specialis merito, vel derogatio necessaria est, neque aliàs gratia substat; Nisi agatur de gratijs per necessè, ac de sui natura præiudicialibus, quod sparsim sub diuersis materijs adnotatum habetur, cū id certam, ac peculiarem sedem non habeat, idque non percutiat id, de quo in præsentia agitur, super Papæ scilicet potestate. L.

47 Quamuis autem pro regula generali, circa huiusmodi potestatem, in magis communi, & recepto sensu Canonistarum (quatenus pertinet ad Forum externum, de quo solùm agitur) Papæ concedatur potestas faciendi omnia, quæ iuri Diuino nõ aduersantur, cum supra illud eius potestas non extendatur, quando sit clarum, benè tamen illud interpretandi, vel declarandi, quãdo dubium sit, vnde propterea, vulgare prodijt dictum, quod Papa omnia potest M; Adhuc tamen discretè, atque cum debita congruentia huiusmodi potestate vti debet, nè eius vsus scandalum Mundo præbeat; Verùm de hoc, soli Deo rigorosam, ac necessariam rationem redditurus est, cum Mundi debitor solùm remaneat de facto, id est de existimatione, vel fama bona, seu mala, super qua Principes multum inuigilant, ac debent, multo verò magis Summus Pontifex, qui debet esse alicui Principum norma, & exemplar.

48 Commutatio vltimarum voluntatum Papæ, specialiter reseruata per aliquos creditur; Verùm id æquiuocum continet, quoniam rectè quidem papali potestati reseruata est commutatio illarum voluntatum, quæ pietatem concernant, et super quibus potestas laicalis se ingerere non potest, minusquè potestas Episcopalis, aliorumque inferiorum collatorum; Generaliter autem derogare, vel dispensare fideicommissis, alijsque dispositionibus temporalibus, ac indifferentibus, ad quemcumque supremum Principem in suo Principatu pertinet. N.

P. 2. Relat.	C	De
I. de hoc agitur sub tit. de censuris disc. 1. & alibi.		L. præsertim sub tit. de præminent. disc. 9. & alibi pluries.
		M. disc. 148. de Regal.
		N. de ista materia commutationis vltimarum voluntatum apud Buratt. dec. 883. & dec. 408 p. 12. rec. in quibus concordantes.

F. sess. 24. de reform. cap. 20. & in annotat. ibid. lib. 14.

G. de benefic. disc. 23.

H. sub tit. de iurisdict. disc. 1. & seqq. & sub tit. de præminent. disc. 1. & seqq.

De electione Papæ; Ad quos pertineat; In qua persona cadere valeat; Et quomodo facienda sit, ut valida, & canonica dicatur; Et de potestate Collegij Cardinalium Sede vacante, vel plena: Et pluribus speciebus vacationis sedis Pæpælis.

S V M M A R I V M

- 1 **A**N Papa sui eligat successorem, & firmatur negatiua.
- 2 Ad quem pertineat ius eligendi Pontificem.
- 3 De stylo Religionum eligendi Generalem.
- 4 Quid de Hierosolymitana Religione.
- 5 De restrictione electionis Pontificis ad Collegium Cardinalium, & de istorum origine.
- 6 De eodem.
- 7 De iure electio Episcopi spectat ad Capitulum.
- 8 Spectat ad Cardinales presentes Collegialiter congregatos.
- 9 Totum ius Capituli etiam in paucis, vel in uno esse, & consolidari potest.
- 10 Non existentes in sacris, non habent vocem in Capitulo, seu in dicta electione.
- 11 Electio facienda est in conclau, & quid se præcedat ante clausuram conclauis mortuo Pontifice.
- 12 De præeminentia, & dignitate Cardinalium sede vacante.
- 13 De ingressu, & clausura conclauis.
- 14 Qui sint custodes fixi, ac principales conclauis.
- 15 De Marefcallo, & quare familia Sabelorum hanc prærogatiuam habeat.
- 16 De personis, quæ remanent in conclau cum Cardinalibus.
- 17 Cardinalium absentium non fit solemnitas conuocatio.
- 18 Non admittuntur absentes idest ex conclau, ad votum per procuratorem.
- 19 Quomodo dent votum infirmi existentes in conclau.
- 20 Non concludunt electionem nisi duæ ex tribus partibus.
- 21 De forma huius electionis.
- 22 Qui sint eligibiles, & an soli Cardinales.
- 23 Quare electio cadere soleat in Cardinali.
- 24 De vacatione sedis per mortem, & quid fiat, ista sequens.
- 25 De aperitione carcerum, & libertate carceratorum.
- 26 De vacatione sedis per renunciationem.
- 27 De vacatione ob crimen hæresis, vel aliud.
- 28 De iurisdictione, & potestate Collegij Cardinalium sede vacante.
- 29 De actibus concernentibus Episcopatum Urbis, quod Collegium gerat vices Capituli Cathedralis.
- 30 De propositione quod Collegium Cardinalium constituit unum corpus cum Papa.
- 31 De eodem, & quod solus Papa est caput Ecclesie sine mixtura alterius.
- 32 Dantur exempla inter adiutores voci consultiui, & voti decisiui.
- 33 Declaratur equiuocum procedentium cum terminis aliorum Senatuum.
- 34 De distinctione inter Imperatorem Romanum, & alios Principes.
- 35 Quando Papa ardetur à consensu Collegij.
- 36 Quod corpus Ecclesie sit penes Ecclesiam vniuersalem, & Concilium generale ad quos effectus.
- 37 Qualis potestas ab Ecclesia sit transfusa in Collegium Cardinalium.
- 38 An Collegium cogat electum in Pontificem ad acceptandam electionem.
- 39 De potestate Collegij in ijs, quæ concernunt potestatem Patriarchalem.
- 40 De eadē potestate in concernentibus Principatum temporalem.
- 41 Quomodo ea potestas, quæ Collegio competit sede vacante, sub eo exercentur.

D I S C. III.



nter problematicas quæstiones, quæ per Theologos, præsertim in scholis, vel circulis, disputari solent, ea dignoscitur, an Papa sibi eligere, ac deputare valeat successorem, pluraque argumenta pro vtraque affirmatiua, & negatiua